Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31636
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Iuorum autem qui ducem in extrema quoque clade reuerendum putarent debilitabantur dextere gladiique de manibus elabebantur. multi sponte cum ei manus afferrent dimittebant frameas. Iosepho autem non defuit in ea desperatione consilium. affectus dei prudentia salutem in periculum mittit. Et quod mori decretum est inquit agite. cedes mutuas sortiamur. et cui obtigerit manu sequentis occumbat. atque ita omnium fortuna perambulet. neque sua dextra quisque iaceat. Iniustum est enim ceteris peremptis. ex aliis quemquam si penituerit saluum esse. Visus est uera dicere. et quod persuasit agitur. sors cuique obtigit. parata ei qui sequeretur nece sua prebebatur. quasi mox et duce morituro. cum iosepho enim perire uita dulcius estimabatur. Remansit autem ipse cum alio. siue fortuna dici oporteat. siue dei prouidentia. consultoque prospiciens. ne uel sorte grauaretur. uel si nouissimus resedisset. dexteram suam gentilis cede pollueret. illo quidem fide imposita. ut uiueret persuasit.

Ille quidem hoc modo et romanorum et domestico bello liberatus. ad uespasianum per nicanorem ducebatur. Omnes autem romani uisendi eius gratia occurrebant. et cum se circa ducem premeret multitudo. uarius tumultus erat. his exultantibus quod captus esset. aliis minitantibus. nonnullis autem propius eum uidere certantibus. et qui longius quidem aberant. hostem interficiendum esse clamabant. qui uero propius erant. facta eius reputantes mutatione obstupescebant. Rectorum autem nemo fuit qui licet ante irasceretur nomini eius. uiri aspectu mitior factus est. Titum uero preter alios et fortis iosephi animus in calamitatibus. et etatis eius misericordia capiebat. qualisque pridem fuisset in pluribus reminiscentem. et qualis nunc sit in hostium manibus positus intuentem. iubebat intelligere quanta esset fortune potentia quamque uelox belli momentum. humanarum autem rerum nihil firmum atque perpetuum. Quia multos et tunc ita ut sentiebat ipse ut iosephum miserarentur affecit. plurimaque salutis eius pars titus exstitit apud patrem.

Vespasianus tamen quasi missurus eum cesari. ut cautissime custodiretur precepit. Quo audito iosephus. aliquid soli se dicere uelle ait. Summotisque ab illo omnibus aliis preter filium titum. ac duos amicos. tu quidem inquit uespasiane. tantum hoc putas iosephum te habere captiuum. Ego autem maiorum nuntius ad te uenio premissus a deo. ut iudeorum lege uiderem. ut quemadmodum exercituum duces mori deceret. ad neronem me mittis. Quid ita. quasi qui neroni usque ad te successuri sunt maneant. Tu et cesar uespasiane et imperator. atque hic filius tuus nunc. Me autem colligatum artius tibi obseruato. Nam dominus quidem non mei solum es tu cesar. uerum et terre marisque ac totius hominum generis. Me autem ad maiorem penam custodiri oportet. si extempore aut subito in dominum ista confingo. His dictis. uespasianus statim quidem fidem non habere uidebatur. eaque et iosephum existimabat salutis gratia comminisci. paulatim uero ad credendum impellebatur. iam pridem illum excitante ad imperium deo. sceptraque multis premonstrante portentis. Sed et in aliis ueracem esse iosephum deprehenderat. Alio namque amicorum qui secretis interat admirari dicente. quemadmodum non hec deliramenta sint. neque iotapatenis de excidio. neque sui de captiuitate quicquam diuinasset. Vt autem a se iram depelleret iosephus. iotapatenis ait se predixisse. quod post diem septimum et quadragesimum eos maneret excidium. quodque ipsum romani uiuum essent in custodiam recepturi. Hec in secreto quesita uespasianus ubi uera comperit esse a captiuis. et que de se dixisset credibilia cepit existimare. Sed neque custodiam neque uincula iosepho remittebat. Vestimentis autem aliisque muneribus eum donare. benignissimeque fouere non desinebat. et tito magna honori eius

Quarto autem die mensis iunii operam commendante. uespasianus in ptolomaida reuersus. inde in loca maritima cesaream peruenit. iudee maximam ciuitatem. et que maiorem incolarum partem grecos haberet. Igitur et exercitum et rectorem indigene omni fauore ac benignitate susceperunt. affectu quidem quo romanos diligerent. plus autem illorum qui excisi fuerant odio. Vnde et multi simul ut de iosepho supplicium sumeret. cum clamore precabantur. Vespasianus autem de ista quidem repeticione uelut ab inconsulta multitudine oblata. nihil respondendo dissoluit. Legiones uero duas quidem hiematum apud cesaream posuit. quod oportunam esse uideret ciuitatem. decimam uero et quintam scitopolim misit. ne totius exercitus molestia cesaream premeret. Erat autem illa quoque aprica per hiemem. quantum estatis caloribus estuosa. ut in planitie sita atque mari

Cum hec autem aguntur. collecta non exigua tima. multitudo. que uel ab hostibus seditione defecerat. uel ex ciuitatibus euersis effugerat. ioppam receptaculo sibi releuant. quam antea uastauerat cestius. Et quia terra quam infestauerant arcebantur. migrandum in mare censuerunt. ac piraticis nauibus fabricatis. in syriam et fenicem. atque in egiptum commeantes. plurimos latrociniis predabantur. omnibusque nauigiis inuium faciebant illarum partium pelagus. Sed uespasianus cognito quod constituissent equites in ioppam. nec non et pedites mittit. hique nocte in ciuitatem que incustodita erat ingressi sunt. Eius autem habitatores preterquam irruptionem presenserant. nec te romanos arceret. metu deterriti. naues fuga petierunt. et his ultra contiguum sagitte spacium pernoctauerunt. cum ioppa natura esset inportuosa.